

HIPPOCRATIS (cujus Divini tamen Sen-
 nis placita, in alienum planè sensum
 detorquent) definiunt, atque hâc me-
 thodo Methodicos ipsos, Medicæ ac
 Philosophicæ cognitionis facilitate
 tradendâ, superant. Thessalus Metho-
 dicus ad Philosophicarum Medicarum-
 que rerum scientiam acquirendam,
 LATI scilicet & STRICTI (ut opinabatur)
 sex mensium spatium requirebat; Hi,
 ne totidem horas pro absolutissimo
 Philosopho & Medico desiderare pos-
 sunt. Quod si enim quis voculas **QUA-**
LITATUM, FACULTATUM, CORPORIS PER-
SPIRABILIS AC INSPIRABILIS, diligenti
 memoriâ conservarit, quid quæso tam
 obscurum esse potest, quod non primo
 statim intuitu clarissimum evadat? Hi
 interrogati, quâ ratione cibi dentibus
 contriti & cum saliva misti, in ventricu-
 lo coquantur, respondebunt; fieri hoc
 à **FACULTATE** quadam singulari, à Crea-
 tore in primæva hominis productione
 ventriculo tradita. Quod si scire ex il-
 lis desideraveris, quâ ratione hoc vel
 aliud Medicamentum Epilepticis ac A-
 pople-